



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

8. Acer disputator.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

lius; tum fortitudo, seu res præclare gesta; denique singularis petendæ humanitas. Sed ille quid reponit?

----- Vade procul. Manibusque expellere tentat  
Cunctantem, & placidis miscentem fortia dictis.

Quid indignius persona gravi & honoratâ, quid dicam, regiâ? quàm manus inferre roganti hospitium, & quidem tali ac tanto? Ira fecit impotentem animi; quod turpe in plebeio, turpissimum in Principe. Sic Nabal ille, tam inops animi, quàm dives pecoris, horridus, impolitus, agrestis, profugos Davidis socios, stipem demissè petentes, & sua beneficia obtendentes, non tantùm non pacatè audivit, sed insuper cum contumelijs rejecit. Quid sequitur? & factus est quasi lapis. 2. Reg. 25.

VII. (g) Inter fortissima ac gloriosissima Persei facinora, istud meritò illustrissimum censetur, quòd Andromedam Virginem, virtute generèque nobilissimam, marinæ belluæ in pabulum objectam, præsentis exitio, funestissimæque morti subtraxerit, & sponsam non molliter procando, sed strenuè agendo sibi conciliârit. Ita veteres heroës generoso pulvere fordidi, non ventilata cæsarie gratiosi; sed ferrata manu tremendi, non digitis auro inclusis mirandi; per vulnera, non oscula Hymenæum initiarunt. Plutarchus apud Rosinum lib. 5. antiquitat. refert, olim nuptiarum comas hastæ cuspide, quæ in occisi hostis corpore hæserat, fuisse discriminatas, ut admonerentur, quia bellicosus jungantur maritis, debere ipsas uti ornatu simplici, & à luxu ac mollitie alieno. Perseus non Paridis lyrâ, sed Mercurij gladio, Andromedæ suos amores probavit. Sic David, antequam Micholem, Saulis regis filiam matrimonio sibi jungeret, nuptias auspicatus est à centum Philisthæorum strage. 1. Reg. 18. Et Strabone teste, quod Causinus in Symbolis memorat lib. 5. apud Arianos, populos Persis finitimos nemo uxorem ducebat, nisi prius hostis caput ad regem detulisset. Perseus certè & Andromedâ inter astra collocati, documento sunt, quid virtus Agere debeat, & Pati.

VIII. (h) Perseus objecto Gorgonidum capite in Saxum vertit aspicientes. Appositè ad hoc Olaus Magnus lib. 3. c. 16. Ursinus, ait, eximiæ famæ gladiator, omnem telorum aciem ad hebetudinem solo aspectu redigere solebat. Cadit in acerrimum disputatorem, qui levî negotio omnium argumentorum vim elidat. Ἐγκος ἔχων στόμα θούρον, ἔπος ζίφος, ἀσπίδα φωνῆν. Pro hasta habens os promptum, pro sermone

Q 2

(g) Auspicatum conjugium. (h) Acer disputator. gladium,



gladium, pro clypeo vocem. Quadrat etiam in eum, qui velut Perseus alter, ubi rationes suas disputando protulerit, & quasi in orbem rotaverit, adversarium in attonitum stuporem convertit, & veluti lapidem reddit.

## SYMBOLVM XXV.

### Bellerophon in Pegaso, victor Chimæaræ.

*Hom. lib. 6. Iliad.*

#### Ethicè.

1. Virtus infracta in periculis. 2. Pegasus imago sapientiæ. 3. Aurora Musis amica. 4. Honor litteratum per Pegasus significatur. 5. Per Chimæaræ impudicitia. 6. Ejus oppugnatione. 7. Modestia docetur.

**P***egasus*, equum alatum è Medusæ à Perseo interfectæ sanguine procreatum fuisse, paulò supra indicavimus; nomen ei ἀπὸ τῆς πηγῆς, id est, à fonte, est inditum, quippe qui dimissus à Perseo, cum in montem *Heliconem* Musis consecratum evolâset, unguis repulsu terram feriens, fontem produxit, Græcè *Hippocrenem*, hoc est, *equinum* (Perseus Satyricus Poëta *Caballinum* vocat) ab ἵππος equus, & κρήνη fons; ex quo quisquis biberit, ei repente vena fuit Poëtica, & quodam quasi entusiasmo correptus, optima carmina tam lingua, quàm calamo fundit. Hoc usus est equo Bellerophon, juvenis castissimus *Glauco*, regis *Ephyrae* seu *Corinthi*, filius, qui falso stupri accusatus, cum ad interficiendam *Chimæaræ* (monstrum horribile, quod capite & pectore *leonem*, ventre *capram* seu *hircum*, cauda *draconem* referebat, ignem ore vomebat) missus fuisset, *Minerva* (secundum alios *Neptunus*) ejus miserta innocentia, *Pegasus* ei, prius domitum & freno assuetum, tradidit. Hoc vectus equo Bellerophontes, *Chimæaræ* occidit; sed postea, ut ingenium est plerisque mortalium, tanta rerum felicitate immodicè elatus, in cœlum quoque ascendere super Pegaso voluit; quam arrogantiam Jupiter, omnis temeritatis gravissimus vindex, deprimendam esse ratus, æstrum illi equo immisit; quare recalcitrans, & in pedes assurgens Bellerophontem excussit, & in terram præcipitem deturbavit. Ipse verò  
jam